

# HISTORIA

MORBI

*A SARCONIO SCRIPTA*

ET

CLARISSIMI TONCII

TESTIMONIUM.

F



**Æ**ger nobilissimo ortus genere, spectatissima *Olivetanorum* Familix addictus, *S. Mariæ Novæ*, Romæ juxta *Forum Boarium*, habitabat in *Ædibus*. Bene quidem ei corpus enutritum & molle, ac statura haud procerata erat. *Technicis* utar vocabulis, *irritabilitatis* nimis, *sensus* parum, ingenium tenue, animumque pusillum habebat. *Culpanda* victus ratione delectatus gulæ indulsit sæpe; sæpiusque insolationibus, nimioque motu excalescens, ex calido in frigidum commixtim transiendi solemne servavit.

## §. II.

Anno ætatis suæ quinto & fere vigesimo, die *xxix.* mensis Junii *MDCCLXXV.* ex intempestivis exercitiis sudore madefactus, aeris frigidiusculi, humidique, per horam, immotum corpus adversus injuriam exposuit.

## §. III.

Hunc die *XXX.* a prandio, febris vehemens corripuit. Cœpit ex lumbis ægrota-re. Oscitationes, extremitates frigidiusculæ, capitis gravitas, & aliarum partium dolores aderant, lassatorum modo. Incaluit vespere: latus sinistrum obscure dolebat: fauces erant inflammatae: lingua sicca, albo glutine sordibusque obvoluta. *Bucciolottus M. D.* accitus primum, sanguinis missionem præcepit. Noctem æger moleste tulit, non dormivit: tussis sicca, spiritus anxius: præcordium elevabatur cum tumo-

re . Nullus fudor : nihil ex alvo : urinæ tenues , lateritio colore tinctæ . Mane , quum jam minui febris videretur , pituitam flavam glutinosamque æger exspuit .

§. IV.

Secunda morbi die , *secundum* febris intenditur meridie . Hæc levior altera . Idem *symptomatum* ordo , sed remissior . *Bucciolotto* olim Præceptorem suum Cl. *Filipanium M. D.* accire curæ fuit . Vespere *secundum* missus est sanguis ; verum nox tristior fuit : tuffis multa : foedi glutinis copiosa exspuitio mane . Non sudavit æger . Urinæ tenues . Nulla ex alvo dejectio .

§. V.

Circa meridiem *tertium* febris subdole invaluit cum *meteorismo* . Omnia in perniciem ruunt . *Tertium* ad venæ sectionem , confugere Curantes curarunt . Venter erat vehementer intentus ad dolorem usque : alvus omnino clausa : anxietas summa : cutis arida , putrido mordacique vitiata calore : urinæ tenues : lingua sicca non siticulosa . Convulsiones præ foribus aderant . Nullus in genis rubor : capitis gravitas . Prima nocte , ad summam , laboriosè omnia acerbata sunt .

§. VI.

Tantum de pulmonario loquitur morbo . Nitrum adjungitur aquæ . Clysterium , apponitur , Oleum amygdalinum , syrupo violarum

larum, cochleatim præbetur. Media nocte remissiora omnia fiunt. Mane ab alvo sterora prodibant. Urinæ perpetuo tenues, lateritio colore tinctæ, nihil subsidentes. Sudor nullus: facilis sputorum flavorum exspuitio erat.

#### §. VII.

Statis horis *quartum* febris intenditur. Quintum venæ sectio præscripta fuit. Oleum, & nitrum, & aqua ut prius. Intra hæc omnis medicina. Idem ac in secunda febris die. Alvus restitit. Urinæ similes. Nullus sudor. Pectus in diem nova obruebatur pituitosa colluvie in parosismorum excursus. Nox gravior altera.

#### §. VIII.

Quinta die, consuetis horis, ventre vehementer intento, *quintum* febris prorupit protervius. Quid agitur? Idem remedium genus. Venæ sectio, nitrum, aqua, oleum. Omnia in cassum. Exacerbata sunt omnia. Horrent Medici, pavent, sociumque alterum Medicum in subsidium curationis exposcunt. Nox interim levior altera, & omne ut prius §. III. V. VI.

#### §. IX.

Reverendissimus *Miranus*, antiquæ probitatis exemplar, spectatæque virtutis vir, *Sarconium M. D.* (transitantis animo Romæ hospitem) arcessere curavit. Accessit iste sum-

mo mane. Non aderant Medici. Quamplurima scitu necessaria ex ægro, exque adstantibus sciscitatur. Nihil profatur. Alloqui velle Medicos, eorumque ducendam esse rationem, honeste dixit.

*Sextum* intenditur febris. Pomeridianis horis, in rei præsentis angustia, circa agrum convocantur *Filipanius*, *Bucciolottus*, & *Sarconius*, auxilii ferendi causa. *Bucciolottus* non aperuit os suum. *Filipanius* Relatoris vices gessit.

#### §. X.

Hæc *Sarconius*. Genus vitæ prima morbi causa. Aeris injuria in corpore calefacto, occasio. Effectus febris acuta *continua remittens*. Ordo, sive morbi modus, periodus perniciofa. *Symptomata* graviora *meteorismus* initio febris, pulmonis putridæ larva ingravescens in diem, uniuscujusque parosismi in fine, *convulsiones*, vasorumque excretoriorum *spasmus*. Morbus periculosus. Hactenus recte factum quicquid Medicis facere volupe fuit. In posterum ab iis desistendum esse. Oportet namque, ubi aliquid non respondet, experiri aliud atque aliud, quum solemne sit Medicis, ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodest, imo lædit.

#### §. XI.

*Sarconius* multus fuit in periodo; inque

que hanc sententiam multa dixit . Id haud frustra demonstrandum putavit ; nam præsentissimum periculum non a pulmonario morbo , qui heic non primas agebat , sed a pernicioso febris periodicæ ingenio timendum esse jure credidit . Febris enim ejus erat generis , in quo tempus remissionis Medicos non valde peritos decipit : sæpe enim in hoc quoque genere valetudinis jam minui febris videtur , & rursus intenditur : interim ei remissioni credendum est . Quod facile patere , dixit , consideranti morbi historiam .

### §. XII.

Primo febrem quotidie statum ingruendi tempus , & certum habere circuitum tam evidens erat , ut nihil supra .

2. Febris altera gravior , altera remissior erat .

3. Graviorem accessionem levior nox sequebatur : quo fiebat , ut graviorem accessionem nox quoque tristior antecederet ; hinc alternis vicissitudinibus uno mane remissius , altero asperius matutinum tempus ægro erat : remissio igitur altera brevior , altera longior .

4. Urinæ lateritio colore tinctæ periodicæ febris genus præmonstrabant .

5. Meteorismus periodico ordine ingruens febris characterem patefaciebat . Quid ? hæc omnia non satis superque de *periodo* heic agi *perniciosa* testatum fecere ?

## §. XIII.

Hiscæ explanatis, gradum fecit *Sarconius* ad ulteriora . Quæsitum fuit , cujus generis essent sputa ? Pulmoniam pati heic jure dici non posse asseruit . Signa abesse monstravit . Febris haud continens : pulsus perniciosarum : nullus sedendi , ad spiritum aptius ducendum , corpore erecto conatus : nullus in facie rubor , inque præcipue malis : summæ nares non simæ , neque venæ temporum elatæ toto febris tempore ; sed febris tantum in statum . Nulla mentis ambiguitas : brevissimus somnus & paucus , sed non torpidus , sed haud letargicus . Præsentibus malis præsens æger .

## §. XIV.

Non igitur infirmum detentum esse , ipse autumavit *Sarconius* , ea pulmoniæ specie , quam ex *radice Tortus* , *idiopaticam* Auctores nominarunt ; sed hoc valetudinis genus ex eo esse genere perniciosarum , in quo *Cl. Mercatus* hæc factus erat : *Crescente calore in accessione ipsa pituitosus , aut crassus instillat , decumbitque in aliquam partem , ac velut suffocativum catharrum , aut orthopnoeam , si ex thorace ; vel articulares & gravissimos dolores concitat , si in articulos prædictus humor prolabatur . Quippe certum est , non raro contingere . . . tempore accessionis ob calorem tantam defluere pituitæ fluxilis coagiam , quod egrotantes in gravissimam suffocatio-*



cationem , aut lateralem dolorem , pleuritico dolori persimilem , acerrime periclitari videantur , sicut his , qui asthmate laborant ob crassos , & viscidos humores ; thoracis vasa , & partes obsidentes ab eodem calore liquari , & moveri , excitareque difficillimam respirationem , & gravissimam orthopnoeam .

§. XV.

Hoc morbi genus frequentius quam creditur intercurrit , sed non satis in illud Medici inquirunt . Hinc pulmonis larvam pro ipso accipientes morbo *ex radice* , pessime sibi , & ægris consulunt .

Medicis , prima specie , sputum inspicientibus , veluti ex tripode , pus profari sollemne est . Gluten interim pro pure haud recte vendunt . Quod iudicii vitium animadverterent facile si vel minimum ob oculos haberent *primo* id omne , quod de generatione puris Orbi Litterario communicarunt Cl. *De Sauvages* , & doctissimus *De Haen* .

2. Tempus in quo sputa adparent acerrime , & eodem fere die ac nascitur morbus .

3. Vicissitudines subpressionis & sputorum educationis exacte uniuscujusque periodi vicissitudinibus respondententes .

4. Ingenium febrium *ex radice* intermittentium . In istis natura quotidie molitur iudicationem . Patentissima iudicatio in perfecte intermittentibus adest : obscura & imperfecta in  
bre-

breviter remittentibus : obscurissima & nulla per sudorem , per urinas , perque alvum judicatio in subdole , & obscurissime remittentibus . Quid inde ? Metastasis in interiora . Pectus quotidie , cum periodo , pituitosa ac glutinosa obruitur colluvie : venter imus in diem nova impletur forde : humorum massa non depuratur , & perpetuo novis conspurcatur impuritatibus . Ex tanta morbida segete vehementissimos creari stimulos , sensuum , irritabilitatis , & secretionum sedibus inimicissimos , passim in praxi nonne vident Medici ?

5. Rationes continuationis sputorum . Sputa enim tamdiu apparent quamdiu viget periodus . In intermittentibus ut ista quiescit , disparescent illa . In remittentibus vero simpliciter judicatis , remanet tussis : quod vitii genus plus sibi vindicat in febribus ex perniciose progenie oriundis : in istis majorem humorum , quam in reliquis pravitatem , maximam animalis œconomiae confusionem , & inde graviores viscerum læsiones , & difficiliores esse judicationes perfectas , nemo Medicorum est , qui inficias ire possit . Qua de re etsi viscerum labes non *ex radice* , & *idiopaticæ* , sed *periodicæ* , ac *symptomatum* in modum considerari debeant , attamen magni sunt faciendæ . Nam , quum ut plurimum sero medicina paretur , facile quod ante symptoma erat , morbi vices gerit in posterum , vel aliis morbis

bis ex decidentia , & successione originem præbet .

### §. XVI.

De hocce febris periodicæ genere , in quo pectoris vitium veluti febris ipsius symptoma considerari debet , *Sarconius* in alio opere verba fecit . Id centies se observasse *Mortonus* asseruit : id ipse *Tortus* in *Comite Ruperto Fontana* curasse memoriæ prodidit . Speciale hujus exemplum videre est apud *Hippocratem* : erant autem plurimis ipsorum affectiones hujusmodi : febres horridæ , continuæ , acutæ , in totum non intermittentes . Modus autem erat *semitertianus* , una die leviores , altera amplius exacerbescentes . . . Tussiebant autem , pauca , condensata , concocta , paulatim vix educentes . Quibus vero violentissima accidissent , his neque modice concoctio aderat , sed cruda spuerè perseverabant . Fauces autem plurimis horum ab initio , & perpetuo dolebant , ruborem habentes cum inflammatione : fluxiones , parvæ , tenues , acres (1) . Hoc popularis morbi exemplum eo libentius in medium afferre placuit , quo magis a Scriptoribus neglectum : ipsum nam *Savoagium* de eo verba facere fugit ; is etsi solita acribeja periodum adnotasset ex *Mortono* , *Anonymo* , & *Werlosio* (2) ; tamen pleuritici catarrhalem *Hippocratis* trans periodum collocavit .

### §. XVII.

(1) *Popular. 1. sect. 1.*

(2) *Morbor. class. 3. XIII.*

## §. XVII.

De *meteorismo* tandem actum fuit. Hunc ē turgescenti in intestinis forde, exque morbida colluvie in finem uniuscujusque paroxismi in ventre affluente, *Sarconius* deduxit, *Hippocratis* (1), *Combaluserii* (2), atque *Tissoti* (3) auctoritate innixus. Hoc symptōma febribus putridis, perniciosoque ingenio præditis familiare esse ex *Ballonio* asseruit; & ejus esse generis in quo, utebatur *Galenii* verbis, *meteorismus sine inflammatione est, & flatuosus existit . . . . nec solum spiritus indicium est, sed humore permisti, & corpore solidiore . . . . hypochondrium vindicatur tum dolore, tum œdemate si spiritus cum urina & stercore vacuetur: talis enim vacuatio nullum relinquit in hypochondriis excrementum* (4). Quod tam veri consonum, quam quod maxime. Si *meteorismus febribus putridis supervenerit, id non raro a neglectis antea catharticis ortum esse censendum sæpe est* (5). Ceterum *meteorismus* in hoc ægro partem esse morbi probari posse ex eo, quod ejus phasēs phasibus periodi respondebant quotidie.

## §. XVIII.

Tandem de prognosi *Sarconius* egit. *Ægri vitam*

- (1) *Prænot. X.*
- (2) *Pneumato-Patholog. passim.*
- (3) *De febre bil. Laus. p. 11.*
- (4) *Galen. in Progn. Hipp. comm. 2. n. 25.*
- (5) *Sauvage. morb. class. 3. p. 331.*

vitam in discrimine summo versari ait. Humorū massam morbidum vitium coinquinare : particulas sensui dicatas veluti venefico afflatu percussas, collapsas esse : irritabilitatis instrumenta septicis aculeis cruciari : organa secretionum atque excretionum haud recte munia obire consueta : pulmonem veluti in prelo positum gravari ac obrui non solum ex morbida colluvie quotidie in ipsum stimuli lege, & periodi ingenio affluente, sed etiam ex summa, & eminenti abdominis distensione angustari; unde respiratio, ob impossibilem diaphragmatis descensum, brevissima, sanguinis facilis congestio, & vehemens omnium in illo viscere confusio : abdominis partes principes partim saburra acri, ac putrescente refertas, partim vehementer distentas, partimque tumore subelastico, & periodi viru convulsas, compressas atque veluti minaci obsidione detentas esse.

### §. XIX.

Quid igitur faciendum? Periodus tollenda. Pulmo repurgandus. Alvus aperienda. Morbus haud tollitur nisi symptomata tollantur. Ista enim veluti partes illius sunt consideranda (1). Periodus primas tenet, sed frustra laborant qui obstacula negligunt. Id alias *Sarconius* probavit (2). Continuo igitur materiem turgescensentem clysteriis, lenissimisque catha-

(1) *Boerh. inst.* §. 301.

(2) *Istor. rag.* §. 228. 229. &c.

cathartici alvo expungendam esse, ex *Hippocratis, Mercati, Torti, Huxamii, Lancisii, & Sidenhamii* sententia proposuit. Pectori consulendum, applicitis in utroque femore vesicatoriis, tenuissima cantharidum dosi, & multo sinapi paratis, *Hippocrate* monstrante viam (1). Multum mullæ bibendum, addito aceti paulusculo. Nihil oleosis fidendum amplius. Hæc fieri quam brevissime potis esset, ut quamprimum materia turgens subsidere videretur, cortex peruvianus esset in nocte remedii loco. Hæc omnia *Sarconius* dixit consulentis non imperantis in modum.

#### §. XX.

*Bucciolottus* officiose siluit, & annuit. *Filipianus, certe* dixit, faciemus. Præcepit clysterium. Manu propria præscripsit paululum salis epsomensis. Scripsit chinæ chinæ unciam in octo partes distributam, & vesicatoria in coxis apponenda. Disiectam olei potiunculam mullæ antepollere vero credidit. *Remediorum formulas, eorumque distributionem ipse Filipianus* fecit.

#### §. XXI.

In tanta rerum angustia, ægrum ne deserat, *Sarconium Reverendissimus Miranus* flagitat. Qua de re curæ adjunctus, conventis horis, & contestato ægrum in posterum *Sarconius* cum *Filipiano* & silente *Bucciolotto* invisit.

#### §. XXII.

(3) *Prænot. XIX. 13.*

## §. XXII.

*Sexta* febris quarta gravior . De cetero omne ut prius . Flatuosa pauca, ac biliosa ex alvo prodierunt . Horis consuetis *septimum* incaluit febris . Hæc gravior quinta . Pulsus omnino parvi & celeres in principio . Meteorismus transactis altior . Hora diei vigesima, prima urinæ tenues , pauca, raro exeuntes . Alvus erat clausa : pellis sicca , aspera , molesta tactu . Nihil exspuebat tussiculosus æger : supinus decumbebat . Convulsiones aderant . Lingua fordida , ac veluti tosto corio obvoluta . Nec minimum mente motus . Præcordiorum dolor : calor urens aderat .

Quid faciendum ? In tanta vasorum omnium spasmodica irritatione , tantaque excretionum penuria , & ariditate balneum aquæ egelidæ cum paucis lacte *Sarconius* proposuit , magni *Hippocratis* , ac *Tralliani* monita sequutus . Meteorismi composcendi causa , ipsius *Hippocratis* , *Celsi* , *Tissotii* auctoritate , sua-pte ductus experientia , lintea aqua frigida, madida , & etiam nivem intenso ventri appositam commendavit & proposuit . Consilio non obstitit uterque Medicorum ; imo continuo balneum in usu revocatum fuit , ipso *Filipanio* suadente , & *Bucciolotto* exsequente . Bene se habuit æger cum conferentia & tollerantia . Lintea aqua frigida madida primum intenso ventri apponuntur , secundum ad nivem contritam .

lin-

linterisque inclusam deventum est. Venter detumuit. Urinæ facillime fluunt. Spiritus minuitur difficultas. Nocte bolum ex mercurii dulcis granis decem, & chinæ chinæ chartulas duo æger accepit. Remediorum formulas *ipse scripsit Filipanius*. Nox & remissio levior veluti in quinta die. *Petronius, Filipanii auditor, Bucciolotto* jungitur, observandi, & præsidia ministrandi causa noctuque diuque.

§. XXXIII.

Mane serum lactis, cremori tartaro depuratum, & clysterium accepit. Multum bilioſi ac foetidi ex alvo. In urinis enæorema.

§. XXIV.

*Octavum* febris stato tempore intenditur. Meteorismus. Alvus clausa. Urinæ tenues. Omnia sunt exacerbata. Balneum; lintea frigidâ madida: oximeli: nocte mercurii dulcis grana quinque tentantur. Corticis peruviani pulveri salis essentialis usus *Sarconius* anteposuit. Præsidiorum formulas *ipse Filipanius scripsit*.

§. XXV.

*Nonum* incenditur febris. Æger fere agebat animam. Ad omnia restitit; hinc balneo valedicitur: oximeli respuitur. Clysterium nocte: salis essentialis corticis peruviani parum: decoctionis polygalæ virginianæ paululum: decoctum florum violarum cum syrupo capillorum veneris exhibetur. Æger abominatur omnia: nox levior ut prius.

§. XXVI.



## §. XXVI.

Mane serum lactis, cremori tartaro depuratum, adhibitum fuit. Evacuatio nulla. \*Statis horis *decima* ingruit febris. Omnia ut in octava.

## §. XXVII.

Febris *undecima* omnium gravissima. Manente eadem indicatione non esse ad alia transeundum, ait *Sarconius*. Verum ægre ferens præsidia tentari non generose, neque constanter & pro morbi gravitate, sed oscitanter, & tentabunda manu, candide, ut solet, sententiam suam aperuit. „ Sodales, quid stamus to- „ ta die festinantes, & non quod facere ex- „ pedit agentes? Præsidii haud opportune „ generosis, & atrocissimi morbi viribus non „ æquatis, ægro negotium tædiumque crea- „ mus, auxilium non ferimus. Æqui boni- „ que facietis rogo, aut quod convenit, & „ oportet, aut nihil agendum est. Purgans sit „ præsto. Noctem leviolem habebimus, ut „ prius. Detur summo mane, sed dosi con- „ venienti, sed animo purgandi, non pertur- „ bandi, ut hæcenus factum est: verba teneamus „ *Hippocratis*: *Commota bile, & non purga- „ ta, non sorbere vult æger, neque bibere, „ sed omnia abominatur, & plerumque pe- „ rit* (1). Sordibus exertis atque exfossis, „ quid est, cur verear ne non possim perio- „ dum abigere præsentissimis, largaque ma-

G

nu

(1) *De purgant. IV. 5.*

„ nu exhibitis corticis peruviani dosibus? Au-  
 „ xilia minima turbant, nocent, non adju-  
 „ vaht. Magna magnis conveniunt mor-  
 „ bis. Egimus aliud atque aliud: tentavi-  
 „ mus corticem: sed qua methodo? qua  
 „ dosi? Erravimus, non recta ambulavimus,  
 „ Æger interim moritur, „

§. XXVIII,

*Bucciolotti* siluere musæ, *Filipanius* ple-  
 nissime *Sarconii* consilium acceptum habuit,  
 Purgantis, ex cassiæ pulpa, formulam scri-  
 psit. Mane purgans præbetur & serum, Om-  
 nia ut prius. *Duodecima* febris ingruit, Venter  
 vehementer intenditur, Vespere ab alvo biliosa,  
 virida, foetidissima, fatis multa cum sterco-  
 re & murmure pertransibant, Meteorismus  
 evanuit, Chinæ chinæ doses multæ datæ fuerunt.  
 Nox gravis, sed non aliis gravior. Mane febris  
 erat omnibus transactis remissior,

§. XXIX,

*Decima tertia* febris tardius ingruit. Me-  
 teorismus denuo, Clysteria, serum, cortex,  
 fuere remedii loco. Vespere alvus lubrica,  
 multis tenuibus fluens cum murmure & spiri-  
 tu graveolenti, Id confert & facile fertur.  
 Nox facilis; quiete placida obdormivit æger.  
 Meteorismus nullus, Nullus in præcordio do-  
 lor. Facilis spiratio. Nulla gravitas in pe-  
 ctore. Tussis rara; sputa alba, pauca, faci-  
 le educta; corpus æqualiter calidum, madi-  
 dum,

99

dum , ac molle . Mane urinæ multæ , crassæ , subsidentes : Vesicatoria gluten copiosum , & fatis acre vomuere . *Febris decimo tertio die primum intermisit* . Hinc æger simpliciter *judicatus* .

§. XXX.

*Decima quarta die* horis pomeridianis post longam apirexiam , obscurissimam concitationem ægrotantis in pulsu animadvertere vix poterat . Pulsus qui febris initio centum & viginti dabant ictus uno minuto primo : remissionis vero tempore centum ad minimum ; & in apirexia duo de octoginta ; tunc temporis octoginta duo dabant ictus . Signa sanitatis eadem erant , Tussis fere nulla in die , rara nocte . Sputum vix unum aut alterum . Vis vitæ pro ægritudinis ratione laudabilis . Cibum æger non amplius fastidiebat , imo desiderabat . Honestè refectus fuit .

§. XXXI.

*Decima quinta die* magis atque magis ab omnibus æger allevatus . Desiderabantur vero sudores . Quum æger secundum apirexiam gauderet , valedictum fuit *Petronio* ipsi affidenti , & *Bucciolotto* silenti , *soluta prius utrisque mercede , presenti pecunia* . Eademque die ipsi *Filipanio* operæ pretium datum fuit partim *scheda* , partim *presenti pecunia* .

§. XXXII.

*Decima sexta die* omne in melius . Sar-

conio retulit *Filipanius* quæ de pretio aliis dato diximus §. XXXI. Qua dere, coram ipso *Filipanio*, *Sarconius* Reverendissimo *Miranio* suo ridens dixit : „ *Requiritur ne ultra ? ... At Miranius* illi ... *Quo loci sunt res ægri ? ...* „ Tunc *Sarconius* ... *Remota criminalitate*, „ *civiliter agitur* ... Iterum. *Miranius* ..... „ *Quid reliquum est ? ...* Tunc *Sarconius*, *Filipanio* *obversus*, reposuit: quid reliquum est? ... „ *Recidivam præcavere*. Quæ relinquuntur in „ *morbis post judicationem*, *recidivas facere* „ *consueverunt*. *Periodum* inspicito: *verificatoria* ne claudito: *alvum* prudenter *laxato*. *Pectus* mellitis lenito. *Ægrum* fame affligito „. Ad hæc *Miranius* amplexus *Sarconium*, humanissime ei gratias egit, & veluti *amicitiæ pignus*, præsentem pecuniam, munusculum jam paratum, *Sarconio* obtulit.

Abierunt una *Filipanius* & *Sarconius*. Is comiter illi gratias dedit, & omnibus urbanitatis servatis officiis ab illo discessit.

### §. XXXIII.

*Vigesimo die Sarconius* vespere accitus iterum fuit. Quod timuit evenerat. *Recidivam* invenit. Ex quo ipse discesserat die nullam *periodi rationem* habuit *Filipanius*. *Verificatoria* sicca erant. *Alvus* a biduo clausa. *Febris* iterum & *symptomata* ut prius. *Oleum*, *decoctum pectorale*, *cibum* ut ante capiebat æger. *Frustra Sarconius* de *corticis* usu postlimi-

liminii jure restituendo verba fecit. Lacassum doluit vesicatoria non secundum rationem exsiccata fuisse, alvumque per biduum clausam esse. Hinc autumavit cibarii genus omne negandum : ab oleo desistendum : pectori succurrendum moderata venæ sectione, sero lactis, mellitis, & Kermes mineralis parcissimis dosibus, juxta Cl. *Vansvoietenii* mentem (1) : alvum laxandam : corticem revocandum : vesicatoria aperienda esse.

#### §. XXXIV.

*Primo & vigesimo die* periodus altera gravior. Vespere *Sarconius* accitus fuit. Meteorismus initio febris aderat : dolor punctorius in thoracis ima parte : convulsiva suffocatio : tussis sicca : sputum album, difficillime foras emissum : decubitus supinus : metastasis in pectore : evacuatio nulla : summa anxietas : convulsiones artuum : dexteri cruris oedema : corpus tactu asperum : lingua sordibus referta. Vesicatorium loco dolenti apponi curavit : venam ex brachio lateris affecti aperiri : mellitis uti, ac lactis asinini sero.

#### §. XXXV.

In tanta rerum conturbatione *Sarconius* tantummodo cum *Filipanio* ulterius sententiam suam communicare respuit, aperteque dixit se velle cum aliis miscere consilia. *Archiater Salicetus*, Medicus Romanorum hujus temporis

poris omnium confessione optimus , atque Vir doctissimus *Toncius* , qui scientia , & animi virtute , quantum amico dicere licet , inter omnes Medicos præcellens est , hisce de causis acciti fuerunt . Istis adjunctus fuit *Clarissimus scientissimusque Medicus Mora* .

§. XXXVI.

*Die secunda & vigesima* summo mane *Salicetus* , *Toncius* , *Mora* , *Filipanius* , & *Sarconius* agrum inviserunt . *Filipanius* , suo modo , de morbo ore duarum & viginti gentium loquutus est . *Sarconius* ea , quæ retulimus huc usque , per summa capita retulit : & ne *Filipanio* infamiam crearet , pepercit generose , & sedulo causas recidivæ silentio præterit . *Cl. Mora crudum pectoris phyma* morbum facere , prima facie opinatus est , nullamque de periodo rationem habuit . Doctissimus *Toncius* in *Sarconii* sententiam omnino ivit . Periodum perniciosam : & recidivam palam agnovit & explicavit : & medendi methodum a *Sarconio* excogitatam unice amplectendam esse apertissime dixit . Idcirco illico vesicatoria in utroque femore denuo adponenda : usum corticis restituendum : *Kermes minerale* usurpandum : serum asininum continuandum : alvum laxandam . *Salicetus* , ea qua pollet mellita ad miraculum usque facundia , ne transversum quidem unguem a *Sarconii* consilio discessit , morbi historiam depinxit ,

æta-

ætates numeravit , *recidivam* distinxit , mendendi methodum a *Sarconio* propositam , & a *Toncio* adprobatam amplissime collaudavit .

§. XXXVII.

Post hæc vespere ejusdem diei , eadem hora , qua *Sarconius* ægrum visit , una conveniunt *Toncus* & *Filipanius* . Stato igitur tempore *secunda* & *vigesima febris* , more solito , intenditur . Cursus morbi ut prius . Præsidiorum , quæ ægro præbebantur , formulas ipse *Filipanius* scribebat .

§. XXXVIII.

Mane cum *Toncio* , *Filipanio* , & *Sarconio* secundum *Mora* una ægrum convenit . Infirmi res meliori loco esse , periodumque , quæ primâ fronte ipsum fugit , evidentissime ante oculos obversari ut *Mora* animo advertit , magnorum hominum more , quos humanum esse falli divinitus , ut ita dicam , libere confiteri non pudet , æquum hominem , scientissimumque Medicum se præbuit , & coram adfidentibus apertissime primam sententiam *mutavit* , periodi præsentiam recognovit , & omnino in consilium *Sarconii* , *Toncii* , & *Saliceti* ivit . Quæ cogitandi ratio apud ipsum *Moram* maximas vires accepit , ut vidit horis consuetis ejusdem diei *XXIII.* , cum nova

ctor fuit ut æger vim corticis ingentem, spatio quatuor & viginti horarum, sumeret, periodum perniciosam coercendi causa.

§. XXXIX.

Id & aliud atque aliud *consentientibus omnibus*, & formulas omnes remediorum ipso *Filipano perpetuo scribente*, tentatum fuit; sed in cassum. Eo enim ventum erat, ut res ægri essent desperata. Magna in re medica momenta sunt temporum, & multum interest, idem illud utrum ante an post decernatur, suscipiatur, agatur. Cavéant Medici ne inutili cunctatione, in morbis perniciosi ingenii, tempora deliberando consumant. Utar *Mercati* verbis, *hujus generis valetudines ut difficilius noscuntur, ita gravius invadunt, & quod perniciosius est, negligentius curantur*. Primis diebus, & in incunabulis suis hoc morbi genus jugulandum est. Periculum in mora: nam nervos petit, corporis vires convellit, humores corrumpit, viscera pessum premit. Ex præcipiti ægrum levare non facile, si præterita fuerit occasio celeriter levandi. Præmissis evacuationibus, omnino necessariis, quam ingentem corticis vim adhibere oportet: tenuissimæ hujus præsidii doses prorsus inutiles semper, aliquando molestæ: consuetæ & regulares impares, & omnino non sufficientes sunt. Raro in hoc morbi genere perfectam judicationem natura molitur, si ultra



tra septimum morbus processerit : Post hoc tempus judicatio simplex tantummodo expectanda . Hanc ut plurimum recidiva excipit, si vel minimum a recta aut æger, aut Medicus declinaverit . Supervenienti recidivæ illico occurratur . Nam pessundato corpori vi prætergressi morbi novò certamini arma imparia sunt . Sero medicina paratur ? Viscera petit morbi ingenium, & illa destruit : nervos concutit, totumque corpus coinquinat, dissolvit . Tale ex toto fuit ægotantis infortunium : ut cœperat, ingrato operi manus imposuit *Filipani* oscitantia . Si illico a recidiva præsidia præsto fuissent, probabile est, quod aliter seres imposterum habuissent, & æger non esset mortuus . Quod vitium palam *Sarconius Filipanio* exprobravit; ex quo eo injustitiæ istum processisse accepit, ut immemor officiorum, & benevolentiae, clanculum in *Sarconii* culpam verteret, quæ unice in sui probrum cedere haud nesciebat . Aliquod versutorum est genus hominum, qui ne res sibi sit fraudi, veri copiam non faciunt; sed suspensa, & quo ducantur inclinatura respondent (1) : quique ambigui, & ita compositi sunt, ut ex eventu rerum adversa abnuant vel prospera annuunt (2) . Horum loquendi rationem se-

Etas dedit manus, obviumque, & expositum hominem se præbuit; Medicis aut terga obvertebat, aut suspensa loquebatur, aut aperte eorum laudibus obtrectabat. Risit obtrectantem *Sarconius*; nam apertissime omnibus compertum erat in unam eandemque sententiam fodales omnes abiisse. *Salicetus*, *Toncicus*, *Mora*, ipseque *Filipanius* volens nolens a *Sarconio* quoad morbi characterem, atque mendendi methodum ut transversum quidem unguem discessere. Hoc non satis? *Singuli decipere, & decipi possunt. Nemo omnes, neminem omnes fefellerunt* (1). Calliditatem hominis non constantis fidei primum privatim *Sarconius* redarguit, & secundum per summa capita, quæ hucusque de morbi historia enucleavimus, palam aperiendo, coram Reverendissimo *Miranio*, aliisque testibus, & *Toncio*, & *Mora* dixit *Filipanio*: „ Tu te tibi non mihi „ obvius obstas. Desine tandem bonos obtrectare. Consuetudo obtinuit; sed i, si potes, inficias. Salvum a discrimine hominem „ nonne tibi commisi? Ut reddidisti? Moribundum. Tacuit criminator, veluti de caelo tactus, & abiit „.

#### §. XL.

*Die XXV.* Morbus interim ad interitum agrum urgebat. Periodus omnino & constanter eadem. Antiquis angustiis, magis ac magis con-

(1) *Plinius Panegy.*

convulsio, suffocationibus momentaneis stipata, se immiscuit. Hæc periodo insurgens, per febris initium, tribus saltem per horam vicibus, inopinato sic ægrum aggrediebatur, ut morti proximum constitueret. Quid inter hæc faciendum? De *moscho* odorato longus sermo fuit. Nullum aliud apparebat auxilium, idemque factum in aliis casibus repentinis, qui ægros strangulare consuecunt (1). Id non anceps præsidium; & si esset, pro morituro satius esse anceps auxilium experiri, quam nullum, ex *Celso* dictum fuit (2). Neque vitæ alia spes in magnis malis est, quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præstet (3). Est enim circumspicendi hominis, ubi id morbus desideret, novare morbum ipsum, & concutere corpus, quia *curationem, ubi id, quod est, non recipit, potest recipere id, quod futurum est*. Patefactis igitur periculi præsentissimi, & extremis mendendi rationibus, *ex omnium voto, Filipianus moschi odorosi formulam scripsit*; ea lege ut *moschi*, quinta quaque hora, grana tria ager devoraret. Id quinquies factum; ita ut ex toto *moschi* grana tantummodo *quindecim* data fuerint, spatio horarum *quinque & viginti*.

## §. XLI.

*Die XXVI.* Hilari delirio detentus æger. Nulla convulsio. Nullus meteorismus. Pauca biliosa ex alvo. Madores fugaces. Sudores in caput. Sputa alba, facilia.

## §. XLII.

*Die XXVII.* Convulsio iterum ingruit. Morbus medentium laborem, amicorum expectationem omnino frustratur. Quid? Nullum de *Vomica* signum! Universa viscera pessum ibant.

## §. XLIII.

*Die XXVIII.* Paulum allevata sunt omnia. Mens clara. Sputa ut prius. Urinæ non decolores. Nullus meteorismus. Pauca ex alvo. Multum glutinis ex vesicatoriis.

## §. XLIV.

*Die XXIX.* Horis consuetis periodus ingruit. Convulsio per vices strangulans. Meteorismus. Anxietas summa. Mors. N. B. Ex templo, antequam febris principii tempus excederet, sui compos æger, ex inopinato convulsione corripitur, in lecto federe cogitur, labitur in dorso, ventre exsolvitur, strangulatur, & moritur.

F I N I S .

Fidem

**F**Idem omnibus locupletissimam facio , meo  
pariter , si opus fuerit , jurejurando in-  
terposito , *historiam fatalis morbi* , qui nuper  
Rev. cuidam *Ordinis Olivetani* Monacho ,  
nomine *D. Bernardo ab Aquino* , vitam ade-  
mit , *conscriptam a Viro Eruditissimo* , fuis-  
que in lucem editis egregiis medicarum re-  
rum lucubrationibus , Orbi Litterario jampri-  
dem abunde cognito , perspectoque Domino  
*Michaelē Sarconio* , ab eoque *traditam mihi*  
*legendam , perpendendamque* , non modo suis  
esse numeris omnibus absolutam , *sed verita-*  
*ti potissimum quam optime respondere* . Tru-  
culento enim morbo , *qui propemodum desuis-*  
*se jam visus erat* , RURSUS INVALESCENTE ,  
quum ad consultationes de illo habendas ,  
una cum præstantissimis aliis Medicis , Ego  
quoque arcessitus fuerim , constare arbitror ,  
liberum mihi , atque integrum esse , testi-

TORUM ENARRATIONE A MEDICIS CURANTIBUS FACTA, CORAM PLURIBUS OCULATIS TESTIBUS, quibus illa satis comperta, atque explorata esse oportebat; verum etiam QUAE DEINCEPS, USQUE AD EXTREMUM VITAE DIEM, quo Reverendus noster Deo, naturaeque concessit, QUOTIDIE mihi se se in conspectum dedere. Inficias ire minime possum nonnulla quidem pro re nata doctissimum Sarconium excogitasse medica auxilia, atque illa ad aegrotantem juvandum nobis considerata quoque proposuisse, verumtamen ea semper lege, ut nihil unquam exhibitum aegro voluerit, nisi quod ex condicto decretum esset, omniumque praesentium Medicorum opinione, communique CONSENSU comprobaretur. Certumque est mihi, atque juratus affirmo, nihil per id temporis fuisse gestum, quod non idem dumtaxat laudatus SARCONIUS, sed & alii Viri Clarissimi, FULVIUS videlicet FILIPANIUS, atque FRANCISCUS MORA, nec non EGO ipse ratum habuissemus. In quorum fidem &c.

Romae anno 1775.

VAAA540676